

marum. Et ideo usque ad id tempus reseruabo dicturus iam solum de illo verbo thematis quod in fine eius ponitur scilicet. *Benedictus qui venit in nomine domini* &c. Dom. I. Adv. hodie, ut notum, legitur Evangelium *Luc. c. 21. Erunt signa in sole* &c. et Dom. Palmarum Evangelium *Matth. 21. Cum appropinquasset Jesus* &c. At inspecto Missali *Pataviensi*, quod iussu *Christophori Ep. impressit Johannes Petri 1491. f. re ipsa inveni*, in illa Ecclesia lectum fuisse bis ingressum Servatoris in *Jerusalem*, Dom. quidem Adv. ex *Matthaeo*, Dom. vero Palmar. ex *Marco*. Sed, ut ad Codicem redeam Sermones de reliquis Adventus Dominicis extra ordinem quaerendi sunt sub finem *fol. 231*. Alii rite procedunt, et de sola Passione Domini octo numerantur. Ultimus est de *Dom. XXV. post. Pentec.* Postremis foll. adscripta sunt brevia Excerpta e *Rationali Guil. Durandi*, et Nomina celeberrimum Theologorum, inter quos tamen etiam *Abbatem Joachim*, et *Gregorium de Argent.* pro *Arimino* legas.

Ad vestiendum interne utrinque Codicem immolatus est Liber Precum hebraicus eleganter scriptus et punctatus, cujus prior membrana incipit: *ולנו בושח לך יהוה הצדקה הפנים*

DCCCL.

U. 724

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 204. f. per duas

columnas non una manu perscriptus, et rubro distinctus continet I. Sermones prolixos VII. *De Ascensione Domini, Eucharistia, Conceptione, Annuntiatione, Nativitate, Assumptione et Purificatione B. V. Mariae.* Ad calcem Sermonis I. legas: *Sermo Anno Domini M° CCC° nonagesimo nono Scriptus Est per nicolaum de grotkaw feria secunda in 8 Epdomada animarum post festum sancti Michaelis.* Pertinent omnes hi Sermones ad *Henricum nostrum de Hassia*, relatiq. sunt *Vol. I.* ut Index docet, et a *Bern. Pezio Dissert. Isag.* in *T. I. Thef. Anecd.* a p. 77. e variis Codicibus excitati.

II. *fol. 88. Jobannis constantinopolitani episcopi Sermo leonis episcopi cum de eius expulsionem ageretur.* Non facillie dicas, unde *Leonem* huc accersiverit Librarius. Sermo *Chrysostomi* est: *Multi quidem fluctus et unde immanes* &c. a me productus *Vol. I. P. 1. col. 663. et P. 3. col. 3221.* Subscriptum: *Explicit Sermo de expulsionem Episcopi cum ageretur de ea &c. feria 6° ante diem festum sancti andree apostoli per nicolay manus de Grotkaw.*

III. *fol. 97. Commentarius in Cantica Salomonis.* Incipit *ἀνεπιγεαφως: Donum sapientie cum salomone poscere* &c. Igitur est *Honorii Augustodun.* ut extat cum gemino Prologo in *Bibl. PP. Lugd. T. XX. p. 1153.* et a me refertur pluries *Vol.* utroque. Exemplum hoc integerrimum comitatur *Τετισχου:*

Solus

1913

H O M I L E T I C I.

1914

*Solus origenes cum doctos uicerit omnes
In libris alijs, tamen in libro Salomonis
Ipse sui victor fuit eius cantica cantans.*

Hieronymi Sententia est, metro illigata. Origenes, inquit ille in Praef. ad Damasum interpretationis suae II. Homiliar. in Cant. cum in ceteris Libris omnes uicerit, in Cantico Canticorum ipse se uicit.

IV. fol. 167. Omelia, ut in calce, *Albini Beati dyaconi. Init: Liber generacionis ihesu christi &c. Beatus Matheus euangelista Dilectissimi non inmerito inter cetera celestium secretorum animalia facie hominis describitur &c. Habetur in Alcuini edit. Ratisb. T. I. P. 2. p. 449. titulo: Interpretationum Nominum Hebr. Progenitorum D. N. J. C. Sub titulo Homiliae in Nativit. B. M. V. jam Andr. Quercetanus inter Alcuiniana ediderat, et inter Homilias Bedae etiam T. VII. edit. Basil. 1563. p. 183. legitur. Plura uide in Monito praevio edit. Ratisb. Nobis desinit: merito et numero augeamur. In Editis ulterius procurrit.*

V. fol. 170. ἀδελφότης Expositio super I. Lucae, quae incipit: *Missus est gabriel a deo in ciuitatem nazareth. Signum pacis est quando legati mittuntur &c. Mox sub principium ignotus Autor Alexandrum in Cantica excitat. Non novi hujus nominis Interpretem Canticorum, nisi Alex. Neckba-*

Compleat inceptum sancta Maria meum.

mum Anglum a. 1215. defunctum, cujus Commentaria mss. in pluribus Angliae Bibliothecis extare testatur Tannerus et Caveus. Recentior est igitur Expositor noster, qui finit v. 38. his verbis: quam copulationem deificam nobis experiri concedat christus. Amen. et inter tot hujus περιουσις Expositores difficilis designatu est.

VI. fol. 186. Sermones quidam de Virginibus, de Corpore Christi, de Purificatione, de Nativitate, &c. qui etiam Codicem terminant.

DCCCII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 117 XV. Folior. 444. 4. currente calamo exaratus, rubricis distinctus et olim testamento legatus ad collegium beate marie virginis domus Rubee Rose apud fratres predicatorum in Wyenna a M. Thoma de Haselpach arcium ac sacre theologie professore, In perchtoltzdorff plebano famoso atque ecclesie ad sanctum steffanum Canonico, ut notatur in fronte, continet Viri hujus Sermones sacros, academicos, conciliares, politicos, magnam partem propria ejus manu, uti mente conceperat, scriptos, praefixo, quod amabat, lemmate: